



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Copia inops & inopia copiosa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

Eadem viâ homines duxit idem philosophus ad veram libertatem, cùm scriberet: Quidquid facere te potest bonum, tecum est. Idem ep. 30; Quid tibi opus est, ut sis bonus? velle. Quid autem melius potes velle, quam eripere te huic servituti, que omnes premit, quam mancipia quoq; conditionis extrema, & in hu sordibus nata, omni modo exhinc conantur? peculium suum, quod comparauerunt ventre fraudato, pro capite numerant: tu non concupisces quanticumque ad libertatem peruenire, quite putas in illa natum? Itaque multi, pecunias proiecerunt, vt emerent libertatem, immo vt pro ea felicitatem recuperarent. Pheraulas, inquit Xenophon, ex paupere dives à Cyro factus, desiderio tandem pristina tranquillitatū & quietis affectus, & curarum ac molestiarum, quas sibi diuitias importasse querebatur, multitudine offendit, omnium bonorum suorum possessionem in Sacam transfert, hoc sibi tantum excipiens, ut ab eo tamquam hospes, atque etiam parcūs minusq; eleganter, ac sumtuose, quam hospes alatur. Huic pares multos paulò post referemus, qui Codri, quām Croesi esse maluerunt, &c, quemadmodū Euripides dixit, se malle ter sub clypeo confistere, quam parere semel, ter maluerunt mendicare, quām semel imperare, quia, vt Claudianus ait:

*Vivitar exiguo melius: natura beatis*

*Omnibus esse dedit, si quis cognoverit vti.*

Hanc ob caussam Anacreon, accepto à Polycrate tyranno auri talento, reddidit dicens: *Odi donum, quod vigilare facit.* Ex hac paupertate etiam Corneliam Gracchorum matrem, Campana matrona ornamenta sua illo seculo pulcherrima ostendente, pronuncians ditionem Valerius Maximus hoc epiphonēma adiecit: *Omnia nimis habet, qui nihil concupiscit: eò quidem certius, quām qui cuncta possidet: quia dominium rerum collabi solet, bona mentis visus.* Itaque quorsum attinet, aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo misericordiarum statu ponere? cùm & illarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus sit referta: & huius horridior aspectus solidis, & cerasis bonis abundet. Fuit eiusdem sententia etiam Ptolemeus Lagi, qui se numero apud amicos & cœnabat, & dormiebat, teste Plutarcho. At si quando cœnam ipse praberet, illorum vtebatur rebus commodato accipiens pocula, lectos, mensas. Nam ipse plura non posidebat, quam-

Xenophon  
lib. 8. Cyrus  
ped.

Valer. Max.  
lib. 4, cap. 47.

Stobæus  
serm. 17.

que necessaria forent, cum ditare, quam ditescere magis regium esse di-  
ditaret. Quin ipse Epicurus, quærenti, quo modo quis ditesceret,  
respondit: Non augendo opes, sed minuendo cupiditates. Et quoniam

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,

debet amorem nummi minuere, quisquis vult minuere cupidita-  
tem. Quamdiu autem cupidus manet, verè diues non est. Etsi  
enim habeat multa, tamen ostendit, se egere multis, si cupit multa.  
Diuitiem autem esse, non est, habere multa, sed non indigere mul-  
ta. Sicut satur non est, qui adhuc sitit, aut esurit, et si plurimum  
vorauerit, aut potauerit; is autem, etiam si patrum comederit, aut  
biberit, satur vocatur, quem nec fames vrget, nec sitis vrit: ita  
ille diues non est, qui quamvis multas diuitias sit consecutus, ta-  
men plures appetit, quippe quia auri sacram famem non extinxit;

ille autem, qui opes contemnit, diues est, quia habet quidquid cu-  
pit. Inde igitur felicior est, unde dicitur, & inde dicitur, unde pau-

Prou. 12. 9. perior. Et hoc est, quod diuinæ litteræ aiunt: *Melior est pauper &*

Prou. 13. 7. *sufficiens sibi, quam glorioſus & indigens pane: itemque. Eſt quaſi di-  
uines, cum nihil habeat; & eſt quaſi pauper, cum in multis diuitijs ſit.*

S.Hieronym. Appositè D. Hieronymus: *Habeat quis multas pecuniarum faculta-  
tes, inquit, ſi in eis non extollitur, pauperem; non habeat aliquid, &  
cupiat, & infletur, inter diuites reprobos eum deputat Dominus: quia  
diuites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, aut in domo.*  
Quin & apud homines diuitiae sunt maximæ, non egere diuitijs; &  
ille eſt pauperior, qui pluribus eget: pauperrimus ergo, qui quam  
plurima concupiſcit, quia ostendit ſe quam plurimis indigere. Ta-  
lis autem eſt, quisquis

Senee in  
Herc. Futen-  
te.

*Componit opes gaziſ inbiāns,  
Et congeſto pauper in auro eſt.*

#### C A P V T IV.

*Acquisitio, poſſeſſio, amiſſio diuitiarum quantis miferiis  
ſit obnoxia?*

I.



Vi, ex istorum sententia, pauperes iudicat eſſe diuitibus  
feliores, laetatur, non queritur, ſi opibus amissis in sta-  
tum incidunt feliciorum; ſatisq; ſe opulentum arbitratur,  
qui